Relowski Pauli: Monomachia literaria per Theses paradoxas ex universa scientia rationali, naturali etc.

MONOMACHIA LITERARIA,

Per Theſes Paradoxas;

EX

Uniuerſa Scientia Rationali, Naturali,
Transnaturali, Ethica,
& prima parte Theologiæ,

SELECTAS;

Ad Diſputandum publicè propoſitas,

AVTHORITATE

Doctoris Doctorum

S. AUGUSTINI

MVNITAS:

A

D. PAVLO RELOWSKI,
Canon: Regular: Lateraneń: Sac: Theol: Aud.

SVB

Præſideń: A.R.D. IOANNIS KATCKI, eiuſd: Ord:
Sacræ Theologiæ Profeſſoris,

EXPRESSA.

In Conuentu Generali Sacratiſs: Corporis Chriſti,
Caſimiriæ ad Cracouiam.

Anno à partu Virginis, 1690. Menſis July *die* 4^bb.

CRACOVIÆ,
Typis Franciſci Cezary, S. R. M. Illuſtr: ac Rńd: Dńi, Epiſc: Cracou: Ducis Seueriæ,
Necnon Schol: Nouoduorſcianarum Typogr.

In Auitum Insigne.

PERILLSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI.



Tantalus vrenti medijs siti ardet in vndis
His tamen expletur maximus ardor aquis.
Cur iactas Helicone tuum cum nectare fontem?
Dulcius hæc, gustes: flumina nectar habent.

Perillustri & Reuerendissimo Domino,

D. VICTORINO WERESZCZYNSKI,

Ecclesiæ Sacratissimi Corporis Christi Casimiriæ ad Cracouiam,

PRÆPOSITO,

Canonicorum Regularium Lateranensium per Poloniam, & M. D. Lithuaniæ.

PRÆLATO GENERALI,

Domino, Patri, ac Mecœnati Amplissimo.

EXæstuans literarijs ab ardoribus noster animus, ad gentilitia tua sese inclinat flumina: Perillustris & Reuerendissime Domine. *Quippe tanquam sitibundus ceruus, vehementem caloris æstum temperare, & quos consuetus poterat elicere sudores labor Scholasticus, his in limpidis aquis detergere ac eluere desiderat Quis enim ad tales properare lymphas renuat? quibus non solùm ardens votorum sitis extinguitur; sed quod maius est in illis pretiosæ virtutum latent margaritæ. Quanta felicitas nostra! dum gentilitia hæc flumina tanquam gemmifer Tagus proprijs de visceribus gemmea beneficiorum effundunt in ornamentum nostrũ mineralia. Intra limites contineri non possunt, quia non suo, sed alieno vsui fructifera. Cæteris decus videtur alienis ornari spolijs; his probrum, nisi etiam proprijs exuantur. Quid de profunditate Religiosæ submißionis horum fontium dicam, ac serena Paternæ clementiæ malacia?*

cia? Fastuosas & tumoris aurâ inflatas etiam in aureis Arimaspis cum maiori prælatione bullas crescere solenne est; tuis fluuijs ferium ac ferale. Frementes alijs à stridente exulcerati animi Borea placet excitari fluctus, tuis hos nonnisi, quos amoris Diuini, & regularis obseruantiæ efflat Auster. Quibus & illud possum adijcere: Terror multis, pœna paucis. Cætera plurima gentilitiorum tuorum elogia, & tua innata prohibet verecundia, & nostra effari non sufficit exilitas. Quapropter malumus te affectu potius quam copiosa verborum serie prosequi; simulq; aurum auro addimus, quando pretiosis gentilitiorum tuorum gurgitibus, Venetorum Principis secuti vestigia, aureum & præsentium thesium, & votorum nostrorum inijcimus annulum, tam beneficos, ex quibus hucusq; dulcem Paternæ clementiæ hausimus ambrosiam, coronaturi fontes hoc diademate. Nam qui aquam haurit, puteum coronare debet. Seruet te igitur nobis quàm diutissimè Omnigenæ salutis Auctor DEVS *incolumem, quia incolumitas tua nos corroborat, fatum, ægritudo debilitat, (auertat Deus) perimit. Perennent gentilitia tua flumina; vt illis ad Omnipotentis Dei gloriam, ager Domini, quem tu per multa annorum lustra, lustras ac excolis indeficienter irrigetur. Ita voueo*

Perillustris & Reuerendissimæ Dominationis,

Seruus humillimus, & indignus in Christo Filius.

IOANNES KĄTCKI, Can: Reg: Later.
Sacræ Theologiæ Professor,
Cum studio Conuentûs generalis Cracouiensis.

EX SCI-

EX SCIENTIA RATIONALI,

THESIS I.

De Diſtinctione vt ſic.

DIſtinctio formaliter ſumpta non conſiſtit in conceptu negatiuo, ſed in poſitiuo, explicato per negationem.

Eius ſententiæ fuit Sanctus P. Auguſtinus lib: 3. doctr: Chriſt: cap: 25. *Sic enim* inquit S. Doctor, *aliud, atque aliud, res quæquæ ſignificant; vt aut contraria, aut tantùmmodo diuerſa ſignificent.* Eandem tradit doctrinam S. Doctor & in Cathegor: cap: 18. & lib: 2. de Ord: cap: 18. Nec immeritò; quia antequam in Petro V. G. concipiatur negatio Pauli, prius intelligitur Petrus inſtar ſubiecti recipientis illam negationem; Paulus verò inſtar formæ, cuius carentiam dicit illa negatio. At in illo priori rationis, Petrus & Paulus ſunt diſtincti formaliter, etiamſi tunc deſit negatio. Igitur diſtinctionem formaliter ſumptam non in negatiuo, ſed in poſitiuo conceptu, primo eſſentialiter conſiſtere, negare non poteris.

THESIS II.

De Diſtinctione reali Mediata, ſeu in tertio.

IN creatis non repugnat dari diſtinctionem realem Mediatam, ſeu in tertio.

Non aſſentiris? audi quid dicat S. P. Auguſt: in Catheg: cap: 18. *Ipſa verò contraria id eſt oppoſita & diſtincta, in tres ſpecies diuiduntur, aut enim Mediata ſunt, id eſt habent aliquid inter ſe Medium, &c.* Et quodnam inquires? Compoſiti phyſici naturam Mentis palpebris ſtatue; & iam perplexos imperceptibilis difficultatis anfractus euitâſti. Nam homini V. G. ita identificatur Anima rationalis, vt ſimul diſcrepet cum illa in aliquo tertio, videlicet in corpore: quod etſi identificetur homini ſicut & anima Vnita corpori; eſt tamen diſcrepantia inter hæc extrema ratione prædicatorum contradictoriorum, quæ illis conueniunt. ſiquidem Corpori competit eſſe Mortale, animæ verò rationali eſſe immortale. Miraris: quomodo admitti poſsit diſtinctio realis in tertio in creatis; cùm ſit Myſterium Sanctiſs: Trinitatis, quod dari in creatis quis aſſeuerare poteſt? Et vnde hoc, quòd diſtinctio realis in tertio ſit Myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, & non Diſtinctio Virtualis Thomiſtica, vel formalis ex natura rei Scotiſtica? Præterea; quia aliàs Omnes Doctores quicunque negant dari diſtinctionem realem in tertio in Diuinis, eſſent hæretici; quod, quantum abſurdum eſt! Admitto igitur diſtinctionem realem in tertio ſeu Mediatam in creatis, ſed non vt Myſterium SanctiſsimæTrinitatis; ſed vt explicatiuam ipſius: eo modo, quo per potentias animæ rationalis prædictum explicari

ſolet Myſterium. Deinde; quia cum diſtinctionem realem inadæquatam, inter partes ſimul ſumptas & vnitas concedere tenearis ratione prædicatorum contradictoriè oppoſitorum: nam (præter paulò antè inſinuata) partibus quà talibus competit eſſe incompletum, toti verò eſſe completum; & quarenam dari diſtinctionem realem in tertio, in creatis non concedis? ſiquidem quoad rem vtraque eſt eadem.

THESIS III.

De Poſsibilitate creaturarum.

CReaturæ poſſibiles ab æterno non habent vllum eſſe intrinſecè à parte rei diſtinctum à Cauſa prima; ſed in illa habent ſuum eſſe virtualiter.

Aſſerit id S.P. Aug: lib: 5. de Geneſi ad lit: cap: 18. *Antequam fierent* (creaturæ) *erant, & non erant, erant in Dei Scientia, non erant in ſua natura.* Nam illæ creaturæ ſi haberent eſſe diſtinctum realiter à Cauſa prima, eſſent coæternæ Deo: quod lumini ſupernaturali, & lumini naturali repugnat, Supernaturali. quia *In Principio creauit Deus cælum & terram*, inquit Scriptura, Geneſ. 1. Naturali; nam ratio dictat priorem eſſe Cauſam ſuo effectu. Præterea; quia Oppoſita Sententia videtur tollere rationem Cauſæ primæ in Deo; nam poſsibilitatem ſtatuit tanquam aliquam rationem à parte rei Eſſentiâ Diuinâ priorem, propter quam Deus poſsit producere poſsibilia. At hoc nunquid non magnum inconueniens eſt; quo pacto inconueniens eſt, vt aliquod ens creatum ſit prius Cauſâ primâ in quocunque genere prioritatis realis.

THESIS IV.

De Negationibus temporaneis.

NEgationes temporaneæ identificantur realiter poſitiuis entibus.

Replicabis lumini rationis id eſſe diſſonũ; cùm impoſsibile ſit idem ſimul eſſe & non eſſe. ſed abſit hæc opinio; nam noſtram tuetur ſententiam latè S. P. Aug: in Catheg: c. 18. Priuatio namque formæ ignis in ligno quid eſt aliud, quàm ipſa forma ligni, impediens in omni euentu naturali formam ignis? quid tenebræ ſeu priuatio lucis, quàm interpoſitio Corporis opaci, inter illuminabile, & corpus luminoſum; quid cæcitas ſeu priuatio viſûs actiua; niſi tale temperamentum Accidentium in oculo impediens viſionem?

THESIS V.

De Prædicamentis.

NVlla apparet inconuenientia Deum poſſe ſtatui in aliquo prædicamento, vel maximè ſubſtantiæ.

Quæ enim illa? Nam S.P. Aug: lib: 50. de Trin: c. 80. dicit: *Quædam prædicamenta* V.G. *Subſtantiam, Relationem, Actionem, propriè dici de Deo, cætera verò Metaphoricè.* Nulla ſiquidem hinc ſequitur imperfectio; quinimo ſequitur perfectio ex definitiuo conceptu talis prædicamenti, V.G. Subſtantiæ videlicet entis per ſe; cur igitur Enti perfectiſsimo, quale eſt Supremum Numen debeat denegari hæc perfectio?

EX SCI-

EX SCIENTIA NATVRALI,

THESIS I.

De Composito Spirituali.

POssibile est dari Compositum quod constet Materiâ & formâ Spirituali.

Quæ enim huius repugnantia? Audiatur S. P. Aug: lib: 1. de Genesi ad lit: cap: 1. & 12. Confess: cap: 19. ac cum illo noster Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, Sententiarum Magister, & Scholasticorũ Primas, l. 2. dist: 2. in sua Theologia. *Simul ergo* inquit, *Visibilium rerum Materia, & inuisibilium Natura condita est, & vtraque informis fuit secundum aliquid; & formata secundũ aliquid. Sicut enim Corporalium Materia confusa & permixta, (quæ secundùm Græcos dicta est chaos,) in illo exordio Conditionis primario, & formam confusionis habuit, & non habuit formam distinctionis, & discretionis, donec postea formaretur, atque distinctas reciperet species; ita Spiritualis & Angelica natura, in sua conditione secundùm naturæ habitum formata fuit.* Et lib: 1. de Genes: ad lit: cap: 14. inquit Sanctus P. August. *Cum primùm fiebat informitas Materiæ siue Spiritualis, siue Corporalis, &c.* Potest igitur dari Compositum Spirituale. Nam non est contra conceptum rei Spiritualis compositio partium integralium, neque essentialium: tum quia gratia habitualis constat partibus, integrantibus intensiuis, siquidem habet plures gradus inter se distinctos pertinentes ad vnam compositionem saltem intensiuam: tum quia Creaturæ Spirituales, quales sunt Angeli, cum non sint actus puri: quænam implicantia in hoc, vt sint compositi ex partib⁹ integrantibus & essentialibus: tum quia Creaturis Spiritualib⁹ competit natura, quæ est per Modum subiecti; & subsistentia, quæ est per modum formæ. Dices etiam Deo competere Naturam & subsistentiam; non tamen dari in Deo vllam compositionem; cùm Deus sit Actus purus. Igitur & in creatis valet paritas. Minimè. Nam Deo competit Natura vt identificata subsistentiæ, ideoque non potest se habere per Modum subiecti Natura Diuina, nec subsistentia per Modum formæ; alias carentia alicuius perfectionis, videlicet summæ simplicitatis Deo competeret. Contrarium videre est in creaturis Spiritualibus, siquidem non sunt actus puri.

THESIS II.

De Natura & Arte.

NON repugnat verum fieri Aurum per Artem Chymicam.

Cùm Ars sit æmula imitatrixque Naturæ, cur igitur naturam imitari nequeat in formando verò auro, quam sæpè alijs in rebus, quæ operosiores videbantur ad viuum expresit, vt latè demonstrat *S. P. August: lib:* 3. *de*

 Trinit:

Trinit: cap: 7. & in 83. QQ. 29. & lib: 18. de Ciu: cap: 16. & 17. Et hoc ipsâ probatum nouimus experientiâ. Nam Arnoldus Villanouanus Virgulas aureas per artem Chymicam effecit: easque examini Omnium Romæ subiecit; prout testantur Iurisconsulti grauissimi apud P. Martinum Delrio in libris Disquisitionum Magicarum. Similia referuntur de Alexandro Sidonio Scoto, de Anselmo Betio Medico, de Eduardo Hellero Anglo, & alijs. Si fidem non adhibes? Conueni Museum Magni Ducis Hetruriæ; illic seruari clauum, cuius vna Medietas ferrea est, altera purè aurea per artem Chymicam effecta; comperies. Sed dices hanc artem iam de Medio scientiarum proscriptam, à Ioanne 22. Summo Pont: damnatam. Fateor id factum, quia hæc ars à suis authoribus ad praxim reducta, plurima attulit incommoda, tum infirmis in Medicinali, seu potiùs noxio remedio; tum negotiantibus in vario contractuum genere, sola auri apparentiâ, veluti iris colorum varietate decipiens. Hinc oriebantur lites, hinc damna non solùm Personarum priuatarum; sed & Christianæ Reipublicæ iactura. Hinc Auctorum ac Fautorum inopia: contingit enim plerumque, vt auarus Mortalium, animus lucra quærendo, bonis proprijs spolietur. Nihilominus præsenti thesi hæc obstacula nullum ponunt obicem: potest enim reperiri aliquis tam peritus Artis Chymicæ, vt non ficticium sed verum efficiat aurum: & talis si reperiretur, licitè in Vniuersitatibus suæ Artis præcepta, tradere posset. Nec mireris talium præceptorum veram posse fieri praxim. nam mirabilius est mutari panē, vel caseum in carnem humanam vi caloris naturalis; quàm chidrargirum in aurum; præsertim cùm Metalla sint magis similia auro, quam panis, aut caseus carni humanæ.

THESIS III.

De Connexione Causæ primæ cum effectibus possibilibus.

CAusa prima non connectitur essentialiter cum possibilitate effectuum.

Est genuina doctrina S. P. August: in cap: 95. Enchirid: *Neque enim veraciter vocatur Omnipotens Deus, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Impediretur autem; si essentialiter connecteretur Causa prima cum effectibus possibilibus: siquidem impossibilitata Muscâ V. G. secundum principia oppositæ Sententiæ impossibilitaretur Causa prima. quod quantum inconueniens! Nam Causa prima & esset prima, vt ab Omnibus Catholicis Doctoribus supponitur. & non esset prima; quia sui defectûs, seu impossibilitationis, haberet Causam impossibilitatem Creaturarum, seu creaturas vt impossibiles: quanta hæc hymera!

THESIS IV.

De Prædeterminatione physica.

PRædeterminatio physica non modò, non tollit; quinimo auget libertatem voluntatis humanæ.

Negas? impugnaris à S. P. Aug: lib: 1. contra duas epist: Pelagian: cap. 19 explicante illa increatæ Sapientiæ Verba. Nemo potest venire ad me, nisi

Pater

Pater qui misit me traxerit eum. *Quis* inquit, *trahitur si iam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit ab illo qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.* Hinc & Doctor Angelicus semper conformis doctrinæ S.P.Aug: (quâ vel maximè in Theologicis suas probat Sententias) Oppositum sentientes redarguit in 2. Sent: dist: 25. Qu: 1. art: 2. ad 1. *Deus* inquit, *Operatur in voluntate & libero arbitrio secundum eius exigentiam. Vndè etiamsi voluntatem hominis in aliud mutet; nihilominus hoc suâ Omnipotentiâ facit vt id, in quod mutatur, voluntariè velit.* Dices quomodo vinctus ac ferreis concatenatus compedibus liber posit existere? tali modo imaginaris stante prædeterminatione physica libertatem? Absit dispar longè ratio. Nam in prædeterminato physicè, non seruiles catenas sed amoris compedes (quibus noster Philippus Picinelli in mundo Symb: inscripsit epigraphe: *Dant vincla decorem*:) quia libertatis filiorum Dei aduertes; si S. P. Aug: volumina attentè, in illisque mellifluam doctrinam expendas. Nam in libro de Grat: & lib: arb: cap: 16. inquit: *Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit* (scilicet Deus) *vt velimus bonū, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit* Ezech: 18. *Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* siquidem *Magna libertas est non seruire peccatis*: vt commune est apud omnes Doctores ex S. P. desumptum prouerbium: hoc autem præstatur per physicam prædeterminationem: tum quia bonus vsus liberi arbitrij reducitur in Deum tanquam in Causam per se efficientem; sicut vltimæ differentiæ reducuntur in primò essentialem conceptum entis. tum quia prædeterminatio physica causat actualem libertatem scilicet ipsam liberam determinationem; non enim id voluntas præstat se solâ, cùm sit indifferens essentialiter; & quomodo determinatū posset producere effectum? cùm nemo dare posit quod non habet. tum quia prædeterminatio physica est actio Dei libera; potuit enim non esse; est intrinsecè bona. Ergo est suæ libertatis diffusiua. *Omne* enim *bonum est diffusiuum sui*, iuxta S. Dionysium. Si hoc contentus non sis. Audi quomodo nostram fulciendo Ecclesiæ Alcides S. P. Aug: in lib: de Grat: & lib: arb: cap: 20. concludit Sententiam his verbis: *Satis me disputâsse arbitror aduersus eos, qui gratiam Dei* (physicè prædeterminantem) *vehementer oppugnant; quâ voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam.*

THESIS V.

De Fortuna & Casu.

A Philosophis Christianis exulare debet fortuna & casus.

Nihil frequentius in ore vulgi versatur quàm fortuna & casus, hunc quisq; auersatur, illa etsi lumine oculorum orbata in desiderio est. Vtrumque Philosophus Christianus respuit, ridet fortunæ inconstantiam, casum minimè veretur; cùm perspectum habeat, omnes Causas secundas, increatæ subordinari Prouidentiæ. Hinc S. P. Aug: lib: 1. Ord: cap: 1. exclamat. *Quis tam cæcus est mente, vt quidquam in mouendis corporibus rationis; quod præter humanam dispositionem ac voluntatem, Diuinæ potentiæ, Moderationiq; dari dubitet? nisi fortè aut casibus tam rarâ subtilique dimmensione, vel minutissimorum*

rum quorumque animalium membra figurantur, alienare à secretissimo Maiestatis arbitrio ullis nugis vanæ opinionis audebimus? Et enarrat 2. in Psal: 31. *Multæ* inquit, *doctrinæ inquinant animas; alia doctrina est fatum mihi fecit, alia doctrina casus mihi fecit, fortuna fecit. Casibus reguntur homines, nullâ prouidentiâ aliquid geritur?*

THESIS VI.

De Loco & Tempore.

POssibilis est talis Creatura, quæ & in nullo loco, & in nullo tempore sit.

Imperceptibile id asseris, quare? Respondet S. P. Aug: epist: ad diuersas QQ. *Miratur* inquit, *hoc mens humana; & quia non capit, fortasse non credit, seipsam primitus ingrata miretur, seipsam paululum attollat à Corpore, & ab eis rebus quas solet sentire per corpus, & videat ipsa quid sit quæ vtitur corpore. Sed fortè non potest. Magni quippe ingenij (vt ait quidam) seuocare mentem à sensibus, & cogitationem à consuetudine abducere.* Et certè quænam repugnantia huius, vt creatura taliter existat; nunquid Vbicatio & duratio non est accidens creaturæ? De vbicatione constat ex S. P. Aug: lib: 11. Confess: cap: 5. *Quomodo* inquit, *fecisti Deus cælum & terram? non vtique in cælo, neque in terra fecisti cælum & terram. neque in àère, aut in aquis, quoniam & hæc pertinent ad cælum & terram, neque in Vniuerso Mundo fecisti Vniuersum Mundum, quia non erat vbi fieret; antequam fieret & esset.* De Duratione etiam clarum est ex S. P. Aug: in Psal: 109. *Quando & aliquando accidentia esse rerum.* Dices in Dato casu verificari prædicata contradictoria. Nequaquam. Nam hæc prædicata esse simpliciter, & non esse in vllo tempore; quæ tunc verificarentur, non sunt contradictoria; quia non esse cum aliquo addito V G. in vllo tempore, non opponitur contradictoriè prædicato esse simpliciter; sicut non esse hîc, non opponitur huic, quod est esse simpliciter.

THESIS VII.

De Creatura Omnium etiam possibilium aliarum perfectissima.

NOn repugnat Creatura Omnium aliarum etiam possibilium perfectissima.

Quæ enim huius repugnantia? *In talibus quippe rebus* (vt discurrit S. P. August: epist: 3.) *tota ratio facti est potentia facientis. Ita enim certas temporum leges generibus qualitatibusque rerum in manifestum ex abdito producendis attribuit, vt eius voluntas sit super Omnia.* Et serm: 119. de Temp. *Omnipotens est Deus ad facienda Maiora, & minora, Omnipotens est ad cælestia & terrestria, Omnipotens est, ad facienda immortalia & mortalia. Omnipotens est ad facienda Spiritualia & corporalia &c: postremo Omnipotens est ad facienda quæ facere voluerit.* Dices ex hac thesi hanc inferri sequelam, quod videlicet exhauriretur Omnipotentia Dei productâ eiusmodi creaturâ; nam non posset aliam producere perfectiorē. Admitto rationem sequelæ, sed ipsam refello sequelam. Nam licet De⁹ cognoscat omnia posibilia, non dicitur tamen exhausta Scientia Diuina. Item licet Deus non posit generare nisi Vnicum

cum

cùm Filium, non dicitur tamen exhauſta potentia generatiua Dei; & ſic de cæteris. Pari ratione dicendum in noſtro caſu. Quia non poſſe Deum producere quidquam præter id quod produxit; oritur non ex imperfectione Dei, ſed ex repugnantia obiecti.

THESIS VIII.

De Vacuo.

POſſe naturaliter dari Vacuum in Vniuerſo à parte rei probabile videtur.

Nam S. P. Aug: lib: 3. Confeſ: cap: 1. ait: *Quidquid priuabam ſpatijs talibus* (ſcilicet mundi) *nihil mihi eſſe videbatur, ſed prorſus nihil, ne inane quidem, tanquam ſi corpus auferatur loco & maneat locus omni corpore vacuatus.* Igitur ex S. Patre colligitur poſſe dari naturaliter Vacuum. Tum quia quidquid in eo ſpatio eſt, in quo prius nullum corpus fuerat, id exiſtit, vbi prius erat vacuum; ſiquidem vacuum definitiuè *eſt locus non repletus corpore, replebilis tamen.* Cùm autem Mundus ſit in eo ſpatio, in quo ante rerum procreationem nullum corpus extiterat, poterat tamen eſſe; vt euentus comprobauit, & hoc docet expreſſè S. Pater *lib:* 11. *Confeſſ: cap:* 5. Vt videre eſt in theſi 6ta de Loco & tempore. hinc euincitur præſentis theſis probabilitas. Tum quia vacuum videtur eſſe vtile ad augendam perfectionem vniuerſi; ſiquidem accedit ad perfectionem entis Spiritualis ratione excluſionis eſſe corporei ex hoc ſpatio, in quo eſt: Tum quia id etiam ipſa experientia rerum Magiſtra demonſtrat. Vt ſi quis V.G. accipiat fiſtulam vitream ita clauſam ex vna parte, vt nullum corpus vel tenuiſsimum introgredi poſsit, & hæc fiſtula impleatur Mercurio, ac ex qua parte patet craſsiori occludatur digito, deindè in concham alio Mercurio plenam immergatur; nec retrahatur digitus, donec fiſtula ſecundùm illam extremitatem immerſa ſit, tunc videbitur Mercurius ex parte deorſum ruere, & in ſpatio relicto quod erit 3. vel 4. digitorum, pro magnitudine vel paruitate tubi edere vibrationes quaſdam, & fluctuare, donec poſt Motum planè conquieſcat. Præterea ſi vas plenum aquâ calidâ vndiq; obturatum in perfrigido loco ponatur, concreſcet, denſiorque effecta minorem ſpatij intercapedinem occupatura eſt.

THESIS IX.

De Animæ Potentijs,

POtentiæ animæ realiter diſtinguuntur ab Anima.

De externis extra dubium eſſe videtur: nam Anima V.G. rationalis eſt ſeparabilis à potentia viſiua, auditiua, &c. De internis reſoluit S. Pater Affirmatiuè ſerm: 3. de Temp: *Aliud eſt* inquit, *Anima, aliud eſt ratio; & tamen anima eſt ratio & vna eſt anima, ſed aliud anima agit, aliud ratio, anima viuit, ratio ſapit.* Et in epiſt: 102. ait: *Memoria, intelligētia, voluntas, non ſunt anima.* Igitur hæ potentiæ diſtinctæ ſunt realiter ab anima. Tum quia (iuxta probabiliorem Sententiam) poſsibilis eſt creatura intellectiua, & nō volitiua, quæ enim in hoc implicantia? conſequenter eſt ſeparabilis potentia volitiua ab anima rationali, adeoque diſtincta realiter: nam ſeparabilitas eſt ſignum diſtinctionis realis. Tum quia illud agens, cuius eſſentia eſſet ſua

potentia, esset agens primum nempe Deus. Dices contrarium docuisse S. Patrem lib: 10. de Trin: cap: 11. *Hæc tria* inquit *Memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed vna vita, nec tres mentes, sed vna mens, consequenter nec tres substantiæ, sed vna substantia.* Fateor id dixisse S. P. N. sed in hoc tantùm sensu, quod potentiæ prædictæ emanant ex substantia seu essentia animæ, ideoq; dicuntur vna anima; vna vita, vna substantia radicaliter: non autem formaliter; siquidē hæ potentiæ sunt superadditæ essentiæ animæ V. G. rationali, vtpote proprietates ipsius.

THESIS X.

De Intellectu & voluntate.

VOluntas est simpliciter nobilior & perfectior, quàm intellectus.

Contradicis? Ex quo fundamento? Non ex doctrina S. P. Aug: vel aliorum SS. Doctorum. Nam pro nobis militant. Primus S. P. Aug: nostram tali argumento tuetur Sententiam lib. 15. de Trin: c. 19. *Si* inquit *in donis Dei, nihil est maius charitate; & nullum est maius donum quam Spiritus Sanctus; quid consequentius quam vt ipse sit Charitas, qui dicitur & Deus, & ex Deo.* Hinc conformis tanto Parenti filius, noster Mysticus Theologus Ascetarum Primas Thomas de Kempis l. 1. de Imit: c. 2. rectè discurrit: *Si scirem omnia quæ in Mundo sunt, & non essem in charitate, quid me iuuaret coram Deo, qui me iudicaturus est ex facto?* Meritò igitur Voluntas ex Maiori perfectione suorum actuum supra actus intellectûs est illi præferenda. Tum quia D. Anselmus de Concep: Virg: c: 4. *Voluntatem* vocat *tanquam Reginam mouentem cæteras potentias, & in hanc atq; illam partem flectentem,* tum quia S. Bernardus in lib: de lib: arb: *Rationem pedissequam voluntatis appellat,* tum quia, D. Dionys: 1. cap: Cælest: Hierarch: Choros Angelorum dignitatis Ordine Componens, *in supremo statuit Seraphinos qui a Charitate nomen habent, & infra eos Cherubinos, qui à Scientia nuncupantur.* Nec ex doctrina Philosophi, nec ex ratione efficaci Oppositum demonstrari potest. Nam Philosophus 7. Et hic: c. 10. *ea dicit esse meliora, quorum Corrumpentia deteriora sunt*: euidens autem est, quòd Oppositum charitatis sit multò detestabilius, quàm oppositum cognitionis: vt patet in blasphemia, Odio Dei &c: quæ sunt longè detestabiliora ac deteriora, quàm ignorantia Dei.

THESIS XI.

De Mundo.

MVndus præsens qui etsi in tempore creatus sit, in perpetuum attamen duraturus est, ac perfectiori tamen statu, quàm nunc existat.

Reclamet hîc Aristoteles cum Vniuersa Peripathetica schola sua? quid vide? nam contrariū tum fides, tum authoritas S. P. Aug: demonstrat: quod Mundus non sit ab æterno. Nam Genes 1. Dicitur. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Et S. P. N. in QQ. ex vet: testam: Qu. 28. *Mundum* inquit, *ab æterno constare, & nulli debere esse subiectum, improbabile & impossibile est.* Reclamet etiam quiuis alius non posse durare præsentem mundum

dum

dum in perpetuum; probet Oppositum Increatæ sapientiæ verbis. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Inducat authoritatem S. P. Aug: qui serm: 50. de Temp: c. 6. præfata Christi verba exponens ait: *Structor mundi tibi dicit ruiturum mundum, & non credis?* Hæc non contra, sed pro nobis militant. Asserimᵒ enim in eo statu, in quo nunc esse spectatur, mundum æternè minimè duraturum; sed in alio longè præstantiori. Et hoc docet S. P. Aug: l. 1. Retract: c. 4. *si mundus dictus est* (id est in nouo statu) *quem sensus ignorat: ille rectè intelligitur, qui futurus est cælo nouo, & terrâ nouâ.* Et lib. 1. contra Aduers: leg: & Prophet: c. 2. *Opera* inquit, *Dei quædam incipientia certo fine esse desistunt; sicut tempora & temporalia, quædam incipientia permanebunt: sicut ipsa sanctorum hominũ quam percepturi sunt vita æterna.* Hinc constat, quòd præcipuum constitutiuum mundi, videlicet cælum, perpetuò duraturum sit. Tum quia corpora cælestia sunt corruptionis expertia, & ratione materiæ, quæ iuxta omnes incorruptibilis est; & ratione formæ, quæ non habet vllum contrarium, ratione cuius corrumpatur: vt docet Philosophus 1. Cæli tex 20. Tum quia naturæ Ordo postulat vt superior mundus, à quo inferioris vis magna ex parte dependet & gubernatur, immortalitatis seu æternitatis prærogatiuâ excelleret: Vnde S. P. Aug: l. 3. de l. arb. c. 23. & l. 2. de Genesi contra Manich. cap. 7. inquit. *Summa corpora quæ celestia sunt, minus corruptioni subiacere, nullâque corruptione tabescere.* De secundo etiam constitutiuo mundi scilicet terra, quod futura sit in nobiliori statu non sit vlla perplexitas, *cum S. P. Aug: vt supra dictum l. c. idipsum ex Apocalip: c.* euidenter demonstret. Quæres quis mansurus est in mundo hoc sublunari innouãdo? Aliqui respondent Infantes sine baptismo decedentes, qui modo pro originali culpa detinentur in tenebroso limbi carcere, post extremum iudicij diem in eiusmodi mundo extituros, & beatitudine naturali fruituros. Nobis quia ex S. scriptura vel ex SS. PP: præcipuè ex S. P. Aug: non constat quidquam hac in Materia, ideò hoc Diuinæ Prouidentiæ reliquimus.

THESIS XII.

De Elementis.

INter cætera Elementa etsi infimo loco sit posita, terra, dignitate tamen illis excellit.

Primum non negas? Nam id etiam sentit S. P. Aug: in 83. QQ. 65. cum cõmuni Philosophorũ sententia. *Vltimũ* inquit *quatuor elementorũ terra est.* Secundum imperceptibile paradoxũ putas? Nequaquã. Attende doctrinæ S. P. Aug: & opinionem hanc refelles. *Terra* etenim attestante S. P. Aug: l. 1. de Quant: Animæ c. 1. *est corpus simplex; & ideo elementum dicitur omniũ corporum, quæ fiunt ex quatuor elementis.* Tum quia ab Ethnicis Philosophis vt refert S. P. Aug: l. 7. de Ciu: c. 23. & 24. vocatur *Mater Deorũ.* Tum quia *in se tot pretiosa mineralia, metalla; tot iucundos ac vtiles ad cultum Diuinum nec non ad indigentiam corporum nostrorum producit effectus,* vt copiosè demonstrat S. P. Aug: in Psal. 71. Cur igitur terræ denegari debeat primatus dignitatis seu excellentiæ. Asseres infimo loco non conuenire supremæ dignitatis titulum. Quarenam? finis siquidem etsi postremò fiat executiuè, primatum nihilominus obtinet intentionaliter.

THESIS XIII.

De Generatione & Corruptione.

IN cuiuslibet rei naturalis corruptione, resolutio fit vsque ad Materiam primam.

Nam S. P. Aug: in Cathegor: cap: 21. inquit. *Intereunt corpora, cùm desinunt esse quod fuerant.* (Vtique non secundum substantiam seu essentiam, quæ incorruptibilis est, sed secundum accidentia) Et lib: 4. de Gene: ad lit: cap: 1. Idem S. Pater ait: *Amittitur species aliquâ mutatione, à forma ad informitatem declinante.* Ex mente igitur S. Patris nostri dicendum est in homine mortuo non manere eadem accidentia, quæ fuerant in viuo: (& in hoc sensu præsens sumitur thesis) Tum quia accidentia materialia inhærent materiæ interuentu quantitatis, in corruptione autem non manet eadem quantitas; aliàs firmior esset Vnio materiæ cum quantitate, quàm cum forma. Tum quia à forma substantiali per oppositum tolleretur ratio actus primi; nam si accidentia corrupti manerent in genito, forma substantialis supponeret accidentia, tanquam actus se priores. Dices quòd sensus iudicet in homine mortuo, eandem esse cicatricem, eandem figuram, & colorem, cæteraque eiusmodi, quæ in Viuente fuerant: At sensus nunquid non sæpe nos fallit? nam ramus fractus, in aqua positus, videtur nostris oculis integer; mel aut saccarum naturâ suâ dulce, palato non sano amarum est, &c. Nunquid igitur acquiescendum est tam erroneo sensuũ nostrorum iudicio, (si iudicium & non potius sensatio appellari posit.)

THESIS XIV.

De Nutritione.

POssunt animalia (intellige tam rationalia, quàm irrationalia) absque vlla sumptione cibi vel potûs naturaliter diu viuere, & eo tempore magis pinguescere quàm alio.

Tum quia id docet S. P. Aug: Serm: 61. & 62. de Temp: multisque probat ex Sacra Scriptura de Moyse, Elia, &c: exemplis. Tum quia (vt refert Aristoteles lib: 6. de hist: animal: cap: 30.) Vrsa dies circiter 40. latet sine cibo, ac potu, ac per id tempus adeo pinguescit, vt se mouere facilè nequeat. Tum quia Stelliones & Crocodili fluuiatiles (teste Alb: M. lib: 22. de Animal: tract: 2.) & glires, nihil alimenti per hyemem capiunt; eoque tempore multùm pinguedinis acquirunt. Similia referuntur à multis Naturalistis de hominibus. Tum quia natura cæteris facultatibus per interualla otium & quietem largitur; & quidem prouidè ac sapienter; nam quod caret alternâ requie, durabile non est. Vnde Philosophus lib: de somno & vigilia cap: 5. ait. *Potentiam & instrumenta, si diutius operi insistant quiete indigere.* Verisimile igitur videtur vim altricem nonnunquam iusto otio potiri ac feriari, eoque tempore pinguescere animal.

EX SCIENTIA TRANSNATVRALI,

THESIS I.

De Eſſentia & exiſtentia Entis realis.

ESſentia Entis realis identificatur realiter exiſtētiæ Non concedis? expreſſam S. P. Aug: negas Sententiam. Nam ille l. 2. de Mor: Manich: cap: 4. inquit. *Defectûs huius Deus Auctor non eſt; quia exiſtendi, ſeu vt ita dicam eſſendi, Auctor eſt.* Et lib: 12. de Ciu: c. 10. *Sicut ab eo quod eſt ſapere, vocatur Sapientia; ſic ab eo, quod eſt eſſe, vocatur eſſentia.* Sumitur ergo eſſentia & exiſtentia ſynonimè à S. P. Aug. Allegabis ex oppoſito authoritatem Doctoris Angelici pro tua Sententia. ex opuſc: 48. tract: de Subſtantia cap: 2. *Eſſe eſſentiæ* inquit S Doctor, *& eſſe actualis exiſtentiæ differunt realiter vt duæ diuerſæ res.* & quodlib: 2. art: 3. & 1. part. Qu: 50. art: 7. ad 3. idem ſenſiſſe Doctorem Angelicum aſſeres? Fateor hæc dicta Doctoris Angelici, ſed quòd noſtræ aduerſetur Sententiæ, nequaquam conſentio; cùm ipſe dicat de Eſſentia vt eſt in potentia ad exiſtendum, & de exiſtentia actuali, quæ, quis dubitat, quod diſtinguantur realiter ſaltem inadequatè, ratione diuerſorum connotátorum. Si verò ſermo ſit (vt eſt in præſenti) de eſſentia & exiſtentia in ſtatu actuali reali ſumpta, ſic diſtinguuntur ſolùm per rationem, eò quod concipiatur eſſentia per modum potentiæ, ſeu ſubiecti recipientis; exiſtentia verò per modum actus recepti in illa potentia. Et in hoc ſenſu ſemper ſuis in Sententijs conformis S. Patri Noſtro Aug: Doctor Angelicus 1. p. Qu: 4. art: 1. ad 3. inquit. *Eſſe perfectiſſimum omnium comparatur ad omnia vt actus.* &c: *Vnde non comparatur ad alia ſicut recipiens ad receptum; ſed magis ſicut receptum ad recipiens* En diſtinctionem rationis ly *Comparatur* demonſtrat. Et 4. Metaph: lect: 3. idem ſentit, multiſque alijs locis.

THESIS II.

De Conſtitutiuis intrinſecis Entis rationis.

COnſtitutiua Entis rationis intrinſeca non ſunt prædicata aliqua impoſſibilia ſeu hymerica, ſed hæc videlicet: non eſſe entis realis, cognitum tamē per Modum entis realis.

Quiſquis contrarium ſentit definitionem Entis rationis communiter receptam: *quod ſit id. cuius totum eſt eſſe obiectiuè in intellectu:* negat. Impoſſibile enim non poteſt intellectus concipere. Nam S. P. Aug: l. Magiſt: c. 2. inquit: *Quod non eſt, nullo modo eſſe poteſt.* ſiquidem *negatio eſt malignantis naturæ, quidquid poſt ſe inuenit, tollit.* Vt docet S. P. l. de Moribus Manich: c. 1. & l. 1. de Immortal: Animæ: Idcirco S. Pater. *Entia rationis* non vocat Entia impoſſibilia; ſed *figmenta quædam, idola cordis, phantaſias, humanas imaginationes, & volaticas cogitationes.*

EX SCIENTIA ETHICA,

THESIS I.

De pura Omiſsione libera.

NOn implicat dari puram Omiſsionem liberam. Veritatis huius Theſis propugnator eſt S. Pater lib: Confeſ: 18. c.2. *Et intendebã* inquit, *vt cernerem, quòd audiebam liberum voluntatis arbitrium cauſam eſſe, vt malum faceremus; &c.* quod malum vtiq; eſt omiſsio actus præcepti à Deo. Rationem ſi exigas; intrinſecam libertatem voluntatis humanæ aduerte, & pro efficaci id noſtræ Sententiæ fundamento fore cenſeo. Poteſt enim voluntas amare aliquid, vel odio habere, ita vt poſsit non amare: vel poteſt odio habere, ita vt poſsit non odio habere. Igitur poteſt voluntas ceſſare ab amore & odio. Præterea: poteſt voluntas ſuſpendere actum circa obiectum directum illi propoſitum, ita vt viſo obiecto amabili & odibili, non exerceat actum amoris circa illud: Et cur non poterit etiam ſuſpendere actum reflexum circa amorem & odium.

THESIS II.

De beata vita.

IN hoc Mundo beata vita conſiſtit in Sapientia & Virtutibus.

Primum expreſsè tuetur S. P. Aug: lib: de beata vita pag: 214. Vbi inquit: *Nemo ſapiens niſi beatus.* Secundum etiam efficaci probat S. Pater ibidem tali argumento. *Nullo* inquit, *modo dubitamus ſi quis beatus eſſe ſtatuit, id eum ſibi comparere debere quòd ſemper manet, nec vlla ſæuiente fortuna eripi poteſt. Deus inquam vobis æternus & ſemper manens videtur; hoc ita certum eſt, vt interrogatione non egeat. Deũ igitur qui habet, beatus eſt. Nihil ergo nobis tam quærendum eſſe arbitror; niſi quis hominum habeat Deum; beatus enim profectò is erit,* &c: *Deum habet qui bene viuit. Deum habet, qui facit quæ Deus vult fieri; is habet Deum, qui ſpiritum immundum non habet.* Falluntur igitur, imò erroneæ opinionis laqueis irretiti exiſtunt præſentis æui Politici; qui Epicureorum Philoſophorum ſequentes veſtigia, beatam vitam hoc in mundo, tum in potentia, tum in honoris ac famæ excellentia, tum in diuitiarum opulentia, tum in voluptatibus ſenſuum, valetudine, pulchritudine, ac robore, conſiſtere arbitrantur. At refellit; & ſimul redarguit hos mundi Sententiarios Sanctus Pater Auguſt: *Qui timet,* inquit, *videturne tibi beatus eſſe? Non videtur. Ergo quod amat quiſq; ſi amittere poteſt, poteſtnè non timere? non poteſt. Amitti autem poſſunt illa fortuita. Non igitur hæc qui amat & poſſidet, poteſt vllo modo beatus eſſe.* Tranſeamus igitur hæc quia tranſitoria, ſiſtendum autem eſt nobis vtpote viatoribus in vera Sapientia cum rectitudine vitæ coniuncta, quæ ad ſupernaturalem beatitudinem iter præbeat.

EX THE-

EX THEOLOGIA

THESIS I.

De Distinctione reali Mediata in Deo.

DAtur distinctio realis Mediata, seu in tertio in Diuinis.

Aduersaris huic Sententiæ? Sancti Patris Augustini sensum oppugnas: Nam S. Pater lib: 7. de Trin: Dei cap: 1. & 2. inquit: *Hoc est Deo esse, quod sapere. Vnde Pater, & Filius, simul sunt vna Sapientia, sicut essentia de essentia:* Subiungit noster Magister Sent: lib: 1. dist: 5. *Ecce his verbis, aperte dicit Augustinus; Sapientiam de Sapientia, & essentiam de essentia; vbi videtur significare, quòd sapientia sapientiam, & essentia genuerit essentiam:* Et lib: de fide ad Petrum cap: 2. & 20. inquit S. P. Aug: *Sic Christum Dei Filium, id est: vnam ex Trinitate Personam, Deum verum crede, vt Diuinitatem eius de Natura Patris natam esse non dubites.* Non immediatè; hoc enim esset erroneum contra fidem; nam Dei Natura non esset vna; Natura item Patris esset prior naturâ Filij &c: Igitur mediatè; seu ratione tertij, id est: ratione Filiationis, quæ identificatur Diuinæ Naturæ in statu reali. Oppones tum authoritatem Sacræ Scripturæ Ioan: 10. vbi dicitur: *Ego & Pater vnum sumus*: tum S. Patris Aug. effatum lib: 7. de Trin: cap: 6. *Neque in hac Trinitate cùm dicimus, Personam Patris aliud dicimus, quam Substantiam Patris &c. Non aliud est Deum esse, aliud Personam esse, sed omnino idem.* Nil contra. Non enim dicimus dari distinctionem realem immediatam in Deo, quæ repugnat Sacræ Scripturæ, & S. Patri nostro; sed mediatam, quæ consonat: vt immediatè demonstratum est.

THESIS II.

De Scientia Media, & Decreto Prædeterminatiuo Dei.

INter Assertores Scientiæ Mediæ, & Decreti prædeterminatiui, quò ad rem vnitas, quò ad solam vocem discordia est.

Nam vtraque Sententia authoritate tum Sacræ Scripturæ, tum S. Patris Aug: nec non rationibus efficacibus stabilita est. Vtraque sententia suos habet Patronos Magnos Ecclesiæ Doctores: Si igitur sunt quoad rem sibi oppositæ; necesse est omnino vnam illarum esse veram, aliam falsam; nam inter hæc non datur Medium. quænam quæso: illarum falsa? Non prima. Nam S. Pater August: Scientiam Mediam tuetur in innumeris ferè suorum voluminum locis, vt noster Gabriel Pennotus subtilis ingenij Theologus in Propugnaculo humanæ libertatis Lugduni A. D. 1624. typis edito, copiosè demonstrat. Vnus ex tot sufficiat, locus in l. de 6. QQu: Paganorũ Qu. 6. vbi inquit S. P. Aug: *Tunc voluit Christus hominibus apparere; & apud eos prædicare suam doctrinam, quando & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Idem sentit Qu: 2. ad Simplicianum. In lib: de Grat: & lib:

arb: cap: 8. In lib: de Corrept: & Grat: cap: 12. lib: 12. de Genesi ad liter: cap: 15. &c. Non etiam secunda; nam eam docet S. P. Aug. *in libro de lib: arb: cap: 16. in libro contra duas epistolas Pelagianorum cap: 19. Et plurimis alijs locis* ut demonstrauimus in physica thesi 4ta. Cum igitur vtraq; Sententia tanto fulciatur tanti Doctoris patrocinio, debet esse vtraque vera. Ergo vna non est quo ad rem opposita alteri; cum verum quà tale vero opponi contradictionem videatur inuoluere. Rationes concordiæ vtriusq; sententiæ si desideres, eas & ingeniose & amplè in Conciliatione Prædeterminationis physicæ cum Scientia Media nostri Augustini Erath: Augustæ Vindelicorum typis edita A. D. 1689. reperies. Dices de præcedentia res agitur? Fateor: sed verbaliter, realiter, nequaquam. Nam causa prima & prædeterminat physicè nostram voluntatem; & simul determinatur à nostra voluntate. Vtrumq; admittet, quicunq; vtriusq; sententiæ principia attentè consideraverit. Primi Ratio est. Nam physicè prædeterminari voluntatem nostram in Sententia Thomistarum nihil est aliud; quam quod voluntati nostræ infundatur à Deo aliqua qualitas, vel quòd ab ipso eliciatur aliquod Decretum, quo posito, in sensu composito impossibile sit non sequi nostrũ consensum. Atqui talem prædeterminationem præstat in nostra voluntate etiã gratia extrinsece efficax (vt appellatur à Patronis Scientiæ Mediæ) tum quia præsente tali gratia, in sensu composito impossibile est non sequi consensum: tum quia sicut intrinsecè; ita extrinsecè gratia efficax non tollit potentiam liberam in sensu diuiso. Secundi veritas inde constat. Quia causam primam determinari iuxta Fautores Scientiæ Mediæ nihil aliud est; quam Decretum efficax à Causa prima elicitum esse fundamentaliter & in abstracto sumptum, seu ex entitate sua adeo indifferens, & indeterminatũ, vt sit compossibile tam cum efficacia, seu futuritione consensûs, quàm cum inefficacia, seu futuritione dissensûs. Atqui hoc ipsum physica Prædeterminatio habet; quia prædeterminatio physica (vt docent communiter Thomistæ) relinquit potentiam ad oppositum: Quænam igitur discordia quò ad rem vtriusque sententiæ?

THESIS III.

De Actibus liberis Diuinis.

ACtus Diuini liberi constituuntur in recto entitate propriâ; in obliquo verò connotato extrinseco.

Stat pro hac Sententia tanquam infractus Achilles S. Pater Aug: qui lib: de Prædest: Sanctorum cap: 10. inquit. *Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus. Vnde dictum est. Fecit quæ futura sunt.* Et cap: 17. *Electi sunt itaq; ante mundi constitutionem eâ prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit.* Hærebis dubius circa sensum S. Patris Aug: Audi quid dicat ex illius mente, Noster Sententiarum Magister lib: 1. dist: 35. *Præscientia* inquit, *vel dispositio, vel prædestinatio, ad aliquid esse videntur. sicut enim Creator ad creaturam relatiuè dicitur, ita præscientia vel præscius ad futura referri videtur, & dispositio ad facienda, aut prædestinatio ad saluanda.* Ergo sicut Ens relatiuum constituitur in recto fundamento seu subiecto, in quo recipitur relatio, termino autem tanquam connotato extrinseco, iuxta probabiliorem sententiam: ita actus Dei liber dicit in recto,

cto,

ctô, ipsam voluntaté Dei; in obliquo autem contingentiá actionis: Præterea. quia per hanc sententiam optimè combinatur summa necessitas Dei in existendo cum eiusmodi libertate. Ex ea enim parte, quâ liberum Decretum Dei includit volitionem necessariam Dei, omnia intrinseca Dei manent summè necessaria Deo; quia manet hoc, quod non possint non esse; quatenus verò includit actionem vel negationem illius ad extra, inuoluit veram ac realem contingentiam; actio enim vel negatio actionis ita existit, vt potuerit realiter non existere. Dices quomodo actus Dei liber qui est æternus potest constitui etiam in obliquo per actionem temporaneam? cõstitutiua siquidem debent esse simul in constituto. Soluitur hæc facilè difficultas, si termini sub quibus traditur nostra thesis, rectè apprehendantur. Nam ex eo quod denominetur Deus liberè volens ab æterno, non sequitur quod tam rectum quam obliquum constitutiuum huius denominationis deberet existere ab æterno; sunt enim multæ denominationes, quæ in aliqua differentia durationis verè dicuntur de subiecto; & tamen non existunt omnia constitutiua ipsius, vt patet in homine, qui denominatur senex etiamsi 60. vel 70. anni qui constituunt denominationem senis, non existant.

THESIS IV.

De Prouidentia Dei.

MAla pœnæ in particulari (idem dicendum de omnibus effectibus fortuitis & casualibus) per Diuinam Prouidentiam absolutâ & efficaci voluntate sunt volita.

Negas? Quid dicat S. P. Aug: in Psalm: 144. considera. *Multi* inquit, *stulti non valentes contemplari & discernere creaturam locis suis, & ordine suo, sub nutu & iussu Dei agentem motus suos, visum est illis, quia superiora omnia Deus gubernat; inferiora verò despicit, abijcit, deserit, vt nec curet ista, nec regat, sed casibus regantur.* Et paulò post subdit S. Pater. *Non tibi ergo videantur casibus moueri, quæ verbo Dei in omni motu suo deseruiunt. Quo vult Deus, illuc lucet ignis, illuc fertur nubes, siue pluuiam, siue niuem, siue grandinē portet. Et quare aliquando percutiunt montē fulmina, & non percutiunt latronem &c.* Respondet S. Pater. *Hæc omnia, quæ vanis videntur in rerum natura temerè fieri, non faciunt nisi verbum eius; quia non fiunt nisi iussu eius.* Seu ex absoluta & efficaci voluntate. Præparauit namq; Deus Media efficacia & nexum causarum; vt prædestinatus moriatur infallibiliter in gratia & saluetur. At multoties mors casualis, vel suffocatio insperata in flumine est Medium secundùm ordinem Diuinæ Prouidentiæ necessarium; vt prædestinatus moriatur in gratia, iuxta illud Sap: 4. *Raptus est: nè malitia mutaret intellectum eius*; hinc est, quod Deus efficaci voluntate præparauit nexum Causarum secundarum; vt prædestinatus tali tempore suffocaretur in flumine, vel immaturâ morte raperetur: Dices non consonare cum infinita bonitate Dei, vt liberum arbitrium natantium condiderit eo fine, vt mare transmeantes suffocarentur in aquis, vel vt transeuntes iter interficerentur à latronibus. Pellit has dubiorum vmbras sol Africanus S. P. Aug: doctrinæ suæ radijs. In Enchiridio cap: 2. *Deus* inquit *Omnipotens, cui rerum est summa potestas, cùm summè bonus sit, nullo modo sineret aliquid mali*

eſſe in operibus ſuis, niſi vſq; adeo eſſet Omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. & cap: 72. *Melius iudicauit Deus de malis bona facere, quam mala nulla permitteret.* Hinc infert noſter Magiſter Sententiarum lib: 1. diſt: 46. *ex hoc itaq; ſenſu dictum eſt, ac verum eſt, bonum eſt mala fieri (qualia ſunt mala* pœnæ) *quia ex malis quæ fiunt bonis, (qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti) accidit bonitas, id eſt vtilitas; talibus enim (vt ait Apoſtolus) in bonum cooperantur omnia, etiam mala; quia eis proſunt, quæ alijs facientibus obſunt.*

THESIS V.

De Prædeſtinatione Dei.

PRædeſtinatio Dei intentionaliter ſumpta, ſit ſine præuiſione meritorum; executiuè autem ſpectata, cum præuiſione meritorum.

Primum conſtare ex S. Patre Aug: non ambigas. Nam lib. 2. contra duas epiſt: Pelagianorum cap: 9. inquit. *Electi ſunt autem, quia ſecundum propoſitum vocati ſunt, propoſitum non ſuum, ſed Dei.* Item in lib: de Corrept: & Grat: cap: 7. *Profectò electi ſunt per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum.* Et lib: 5 contra Iulianum cap: 5, *Ipſi ergo electi ante mundi conſtitutionem ab eo, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt; ſed electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem Doctor de Iſrael,* (intellige S. Paulũ.) *Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt; & ne fortè ex operibus præcognitis putarẽtur electi, ſecutᵘ eſt & adiunxit, ſi autẽ gratiâ, non ex operibus; alioquin gratia non vocaretur gratia.* Secundum etiam eſſe conforme genio & ingenio S. P. Aug: non dubites. Nam lib: de Prædeſt: Sanctorum cap: 10. inquit. *Prædeſtinatio ſine præſcientia eſſe non poteſt.* Et l. 1. ad Simplic: Qu. 2. *Nemo eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reijcitur. Vnde quod dictum eſt, quia elegit nos ante mundi conſtitutionem, non video quomodò ſit dictum, niſi præſcientiâ.* (executiuè.) Et loquens de Iacob idem S. Pater ait: *Non electus eſt vt fieret bonus, ſed bonus factus eligi potuit.* Vnde noſter primus poſt S. P. Aug: Doctor S. Proſper in ſua ad illum epiſtola inquit. *Penè omnium par inuenitur & vna Sententia, quâ propoſitum & prædeſtinationem Dei* (executiuè ſumptam) *ſecundum præſcientiam receperunt; vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſq; præuiderit; & ſub gratiæ adiutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione, præſcierit.* Dices præſcientia vtiq; eſt intentionaliter, non executiuè; quomodò igitur verificatur theſis? Taliter. Quia intentio efficax finis prior eſt ordine cauſalitatis, & rationis, ſaltem ex parte obiecti voliti, quàm electio mediorum: cùm Media, in ratione Mediorum, non ſint appetibilia, niſi propter finem. Cùm autem voluntas Dei eligendi aliquos ad gloriam, ſit intentio efficax finis; nam gloria eſt finis meritorum; hinc eſt, quod voluntas Dei eligendi aliquos ad gloriam, prior ſit in ſigno rationis in Deo, quam voluntas dandi merita gratiæ.

Reliqua literario certamini reſeruamus; ne præfixos breuitatis theſium, earumq; explicationis limites, tranſgrediamur.

Hæc tamen etſi modica, ſufficiant.

Ad Maiorem ſibi ſufficientis ad eſſe DEI T. O. M. gloriam. Necnon Virginis Deiparæ ab Originali labe præſeruatæ. S. Patris ac Doctoris noſtri AVGVSTINI, & B. STANISLAI CASIMIRITANI Honorem.

aceret eti-
,quam ma-
b: 1. dist:
(qualia
ositum vo-
postolus) in
facientibus

fit sine
specta-

ontra du-
ndum pro-
orrept: &
ntium me-
nte mundi
sed electi
S. Paulū.)
bus præco-
ibus; alio-
genio &
n cap: 10.
lic: Qu. 2.
est, quia
isi præsci-
ctus est vt
S. P. Aug:
ur inueni-
tiuè sum-
a honoris,
atiæ adiu-
cientia v-
ur thesis?
rationis,
ia, in ra-
ntem vo-
nam glo-
liquos

atis the-

inis Dei-
STINI,